



## **Opvs Theologicvm**

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita  
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum  
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum  
Indicem sequens pagina dabit

**Mauro, Silvestro**

**Romae, 1687**

Vita P. Silvestri Mavri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)



## VITA P. SILVESTRI MAVRI.



**S**ILVESTER Maurus Spolerti, peruenusta in Vmbria Cinitate, Nobili genere natus, Parentes habuit Liuiam Zucconiam, & Andream Maurum, Romae, obitus eximia cum laude publicorum munerum Praefectaris, apprimè carum. Ab ipsis pueritia vestibulis prodidit sese ingenua indoles, animisq; rerum diuinarum, ac bonarum artium, quantum ex ea etatula argui poterat, mirifice studiosus. Vbi primum per atatem, Romam missus, ut in Romano Societatis Iesu Collegio Grammatica, & Rethorica studiis excoleretur, in eo Sapientia theatro tanta

confestim alacritate ingenij, iudicij maturitate, ac pietatis maximè significatione praeluxit, ut, perspecta iam Pueri indole, minimè Praeceptores ambigerent, Siluestrum illustrè aliquando illius Accademia columen, & ornamentum futurum: nec expectatio illos sua falsos habuit: nam cum animum ad Sanctioris Vitae consilia adiecisset, è vestigio conuolauit ad Religiosam Societatis Iesu Familiam: nullo magis nomine illectus, ut ipsi se maximè castris obstringeret; quàm quòd intelligeret, eius Ordinis Homines ita litteris multam atatem impendere, ut inde Orthodoxae Fidei, atque pietatis propaganda curam sibi statuerent; non existimationem nominis inanem, fluxamque colligerent. Per omnia Virtutum experimenta exacta Tyrocinij biennio, Rethorica primum, mox Philosophia cognoscenda tanta vi ingenij instructus accessit, ut vix vlla indigeret studiosi laboris contentione atque conatu; quo tamen ita strenuus, ac propè improbo atterebatur; tamquam hebetiori ingenio uteretur. Sublimiorum facultatum cognitionem per aliquot annos insus dispungere, studiosam inuentiorem ad pietatem, & litteras humaniores instituit; cereamque Puerorum atatem, atque versatilem ita expuluit humane sapientiae rudimentis, ut disceret à diuina praescripto numquam deflectere. Exinde Theologiae stadium è clariori ingenij commendatione emensus est, quo eam ipse laudem per animi desipientiam dissimulare magis, ac deterere affectabat. Quod illi reliquum fuit vitae mortalis altioribus hisce disciplinis tradendis, explanandisque vniuersum id fermè contulit. Nam enoluto primum Macerataensi in Academia Philosophiae triennio, plurimum deinceps lustrorum, numquam intermisso ambitu Romae auditus est. Vis in illo mentis elata erat, & admodum felix: par doctrinae selectus, atque soliditas; habebatque, quod praeuara raro patiuntur ingenia, etiam in sapientia modum. Magnam illi dignitatem, famamque concinerant edita in vulgus Philosophicae institutiones, plerumque ad mentem Angelici Doctoris exacta, cuius maximè castris decori fuit, & munimento. Sed mirum est, quanto mox auctoritatis prouentu inclaueris, cum vniuersa Aristotelis Opera, perpetua explanatione, & Auctori suo fidelissimè adherente complexus est. Etenim quem Auctorem Interpretes alij, laboris, an ingenij desperatione, membratim discerperant, riuitos singuli vastissimi fluminis confectantes, vniuersum ipse enodauit feliciter, exposuitque, ac veluti alueo suo restituit integrum amnem. Certe nullo magis argumento dimetiri licet, quanto ille ingenij acumine, soliditate iudicij, industria maximè, ac labore praestiterit. Vulgata Operis fama, lectitari anidè passim conquesta volumina; extolli Scriptoris audaciam felicissimam; eruditorum hominum ex vniuersa Europa gratulationibus excipi; ut particulam immortalitatis suae aliquamprælibare potuerit, nisi humane gloria contemptior animus obsitisset. Et ille quidem honoris sui adeo parum erat sollicitus, ut cultum ipsius aestimando, normamque vivendi, vix ullum domi tenuiorem crederes. Laudes suas in domesticis amicorum allocutionibus nec usurpabat ipse unquam, & easdem referri ab alijs consanciato animo, offusque per frontem pudore audiebat: Satagebat magis, illas uberius in dies promereri, quam querere. Mira in illo integritas morum, & castigatio; utque nulla unquam lethali noxa animum defecasse passim est creditus; ita reliquorum non indoles modò habitudineque animorum, sed dicta, factaque omnia collaudabat: natum dices è gremio felicissimè illius atatis, cui faustissimè contigit, non tam fugere vitia, quàm nescire. Eadem animi sinceritate, atque candore, anni inclementioris iniurias, sedas pluuijs hyemes, ventorum grauioribus incursus benignius consuevit accipere; pari profectò felicitate naturam, & Aristotelem interpretatus. At domestica discipline consuetudines omnes, legesque enixè coluit, horisque in suas cuiusque curas dissectis, eiusdem partitionis beneficio annis recurrentibus

omnia



omnia sedulò dirigebat; ut in incerto sit, scripserit ne exactiori methodo, an vixerit. Incredibile autem dictu est, quàm ingenua morum suauitate, animique demissionis illicio omnium ad se pellexerit animos, ac sui admiratione defixerit: neque enim tristis illi erat sapientia, atque subhorrida; sed mira, & sine fuco facilitas; utque procul à supercilio, ita quæ nihil de morum gravitate detraheret. Hinc persæpe ad ipsum confluere ex omni Civitate Viri præstantes, nobilissimi præsertim Præsules, quorum, ut amicabili obsequio, atque epixis Religiosa demissionis officijs demulcebat vehementer animos, ita quotidie eruditius dissertationibus detinebat. nec minùs erat inuitamento, quod hominem, non Pontificie modo maiestati, sed Romana aulæ ritibus uniuersis, ac ceremonijs multò addictissimum, earumque acerrimum propugnatorem compererant. Nihil autem studiosis sapientia Viris familiari illius consuetudine questuosius: nam, cura in id per omnem vitam, vel maximè collocata, euolutis Sacrorum Canonum, atque Conciliorum, prophaneque Historiæ, atque Ecclesiastica monumentis, ac omni prorsus excussa antiquitate, difficilè memoratu est, quanto eruditionis arario ditauerit animum, compleueritque: utque memorie prodigiosa quadam facultate præpolluit; quæ menti semel adhaeserant, ubi se daret occasio, felicissimè depromebat. Plurima etiam in id genus, eruditorum hominum gratia, luci atque utilitati publicæ destinauerat; perfecissetque: nisi ea molientem mors expectatione maturior interceptisset. Nam, post Theologiam Romæ per annos omnino quatuordecim, annuamque sacrorum voluminum explicationem traditam, ex Moderatorum imperio Collegij Romani regimini admotus est; qualiscunque honoris prærogatiua eo dignior, quo diuturniori experimento obsequentiùs ipse subesse alijs, & maiorum placita osculari semper, sapiùs anteuertere consueuerat. Accademia, quam doctrina, scriptisque illustrauerat, Rector tandem renunciatus, Virtutes suo muneri consentaneas miscuit temperamento mirabili; nam, ut erat mitissima indolis, & asperum nihil, aut asperum admittentis, præseferbat ubique lenitatem placidioris ingenij; idemque tanta efficacitate, atque animi concitatione curare singula, ut non laboribus ullis, curisque, aut senio parceret, modò destinata persequeretur. Cum autem studio, nisique semper excubantis industrie perfecisset ipse omnia, tum verò eorum laudem ex integro in alios declinare: sedulitati suæ nihil; Viri aliorum, bonæque indoli singula tribuebat; quodque de Agricola perhibuit Tacitus, videri maluit inuenisse bonos, quam fecisse. Sed tanti Viri gloria nulla certè secundior dies illuxit; quam cum Templum à Ludou. Cardinali Ludouiso in memoriam Diui Ignatii magnificè positum, quod inferiori solum parte colebatur, Romanam pietatem diutius distineri non passus, expectationi publicæ integrum dedit; immensi contextu operis picturati suppleto theolo, ementitoque tanta felicitate, ut minùs iam verum Roma desideret. Et hoc quidem superæmum fermè illi operum mortalium fuit. Ipsum crederes à Cælo parentem Ignatium, quæsi amantissimo filio pro cultu laxioris Templi vicem rependeret, præstinaisse à Supremo illi Numine immortalitatis adorem impetrare. Et auxit illam moriturus equabili semper cum Diuina voluntate consensu inter acerbioris morbi supplicia quibus efflicti discruciabatur: peracuta febris aggressione præcipiti non ultra quartum diem conflictatus est. Sed vultus illi, habitusque oris, ut semper, placidissimus; nisi fortè ipsa magis commendaretur fronte subrisiori; dum consanguineos, amicosque tanti Viri iacturam tacitè complorantes argueret. Erumpebant in horas ex animo prægestiente celestis patriæ vota: nec interim affari socios, amplectique destitit. Recrudescente demum morbo, inter pias ad Deum preces, & allocutiones ad suos, supremis abiturus in patriam animi munimentis è ritu Catholico instructus, septem annos sexagenario maior placidissimè interijt, anno reparata salutis 1687. Aliquando solemniori pompa postridiè elato, tristi omnium ordinum desiderio, ac Civitatis uniuersa lacrymis parentatum est; quæ vera sunt balsama, quibus Heroum Cineres ater-

INDEX